

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Stephan Praetorius

LVSCINIA || CANTATRIX.|| M. STEPHANI || PRAETORII.|| Cum Epistola Dauidis Chytraei.||

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., 1576

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1671030265>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1671030265/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1671030265/phys_0001)

A-L.

A-B.

A-C.

A-D.

A-E.

A-F.

A-G.

A-H.

A-I.

A-J.

A-K.

A-L.

A-M.

A-N.

A-O.

A-P.

A-Q.

A-R.

A-S.

A-T.

A-U.

A-V.

A-W.

A-X.

A-Y.

A-Z.

~~fm~~
16. a. 8.

~~fm~~

63 p. Fwd

Am-4202⁸-x.

ND 16

1: P 4668

2: P 4675

3: P 4669

Donum Mr. Pastoris Schulte
Neffen pro Biblioth.

XI. 13.

C P X

LUSCINIA CANTATRIX.

M. STEPHANI
PRAETORII.

Cum Epistola Davidis Chytræi.

Thesaurus Musarum.

ROSTOCHII
EDITA A IACOBO LVCIO
TRANSYLVANO.

Anno M. D. LXXVI.

Flet Philomela nephas

IN LUSCINIAM STEPH.
PRAETORII EPIGRAMMA
Nathaniis Chytrai.

 Vsciniam Stephanus ueris dum lau-
dibus ornat,
Vocis & argute uimq; modosq;
docet:
Attendent Philomelæ omnes, laudantq; uiciissim
Nomina preconis iudiciumq; sui.
Illiū binc laudes memori nemo eximet æuo
Donec luscinie, carmina donec erunt.
At tu luscinie qui ingratus honoribus obstaras,
Bubonum in tenebris flebile Carmen habe.

REVERENDO
 VIRO, ERVDITIONE,VIR.
 TVTE ET FIDE PRAESTANTI,
 Domino STEPHANO PRAETORIO,
 Pastori Ecclesia Heliopolitana,Domino
 & amico colendo.

S. D.

REVERENDE Domine Pa-
 stor, amice colende. Filium Dei
 Emanuelem nostrū Iesum Chri-
 stum, à cuius Genethlijs, quæ
 aeterna salutis noſtra exordium fuerunt, An-
 ni etiam principium in Ecclesia conuenien-
 ter ducimus, ioto pectore precor, ut annum
 felicem, tranquillum & salutarem, Tibi, &
 Ecclesiæ, quam Christi Lusciniæ cœlestis voce
 doces & oblectas, tribuat, & nos omnes do-
 ceat ac gubernet, ut Lusciniæ Deo grata &
 Ecclesiæ ac nostris animabus salutaria canen-
 tes, perpetuò maneamus. Mihi sane amō vos
 tua carminum lectio, eximum & singula-
 rem doctrinæ consolacionis & voluptatis dul-
 cisimæ fructum attulit. In quibus non tam

A 2

Muse

Musa & Charites ipse, tenellos digitos suos,
fragranti rosarum succo delibitos abluisse,
quam Luscinia illa cœlestis et diuina, spiritu
suo diuino, alacri, & laetio: non superbo & in-
fuslo illo, quem plerorumq; Principum, Ora-
torum, nobilium, ciuium & rusticorum ani-
mos occupasse scribis: n̄ eos verè cœleste &
diuinum mihi cecinisse visa est. Nec tam
ποιητῶν ὁδεῖς ἀνδῶν vocem variam & mul-
tiplicem ex paruulis illis faucibus vibrat,
quantam tu, in Luscini & tua carmine, rerum
& doctrinae varietatem, physicas descriptio-
nes volucrum, Theologicas & quidem pro-
prias Euangeli conciones & consolationes,
Ethica virtutum precepta, politicam piorum
doctorum fortunam, deniq; lectissimas sen-
tentias ex optimis autoribus, sacris, Philoso-
phis, Patribus, Poëtis, Gracis & Latinis &c.
complexus es. Quare amanter & officiose tibi
gratias ago, quod eruditissimi illius & dulcissimi
libelli communicatione erudire me &
exhilarare voluisti. Flores ex amoenissimis
Iustini Philosophi pratis à te decerpis, du-
dum accepi, et cum Typographis nostris de edi-
tione egi. Quid responderit Iacobus Transyl-
uanus

123

uanus, qui typos Græcos cæteris nitidiores habet, ex adiuncta pagella cognosces, quam mulio ante ad te missem, si tabellarij certi copia mibi data fuisset. Apud Homerum in Vulcani officina Charis assidet, admonens, & opera artificum nitida, & arrifcates ipsos officiosos esse oportere. Hanc Charin suæ etiam officina præsse Iacobus reipsa se declaratum esse ostendit. Facies igitur nos de tua voluntate certiores. Optarim Clementis tui Alexandrini, quem philosophum verius quām christianum fuisse legendō ipse cognovisti, sententias à te selectas, Iustini floribus adiungi, ut iusti libelli forma esset. Marcus Henrici de quo proximè scripsisti ad me non acceſſit. Benè & feliciter vale. Rostochij postridie Epiphaniorum Anno 1575.

David Chyreneus.

A 3 DOCTIS

DOCTISSIMO, PRV-
DENTISSIMOQUE VI-
RO, D. M. ARNOLDO BIERSTA-
dio, inclytæ Reipub. Gardelebensis
Senatori, amico summo,
S. P. D.



Iffugere tandem niues,
& pulsam hyemem sol au-
reus egit sub terras, ca-
lumq; astiua lace rectusit:
Redyt vero illud amoenis-
simum tempus, de quo ijde

canunt Poetæ:

Nunc frondent sylue, nunc formosissimus annus.
Prataq; pubescunt uariorum flore colorum.
Nunc tepidum uolucres concentibus aëra mulcent:
Ipsa sibi plaudit crepitante Ciconia rostro,
Et uetrem in limo ranæ cecinere querelam.

Non me igitur diutius sub recto contine-
bo, foco assidens, & aternis consilijs ani-
mum minorem fatigans: sed rectâ me per
prata in sylvas conferam, visurus, quidnam
istic rerum ab auiculis agatur. Rosas etenim
paulo post contemplabor. Viuere enim perpe-
tuò in

ruo in literis, non est vita, nisi etiam aliquando in pratis, hortis & lucis vivatur.

In primis vero conferam animum meum ad Philomelam. Nam hac auicula est prestantissima cantatrix, sua vocula & arie longe superans, non solum Orphei & reliquorum Musicorum, verum etiam ipsarum Camenarum vocem & artem.

Vigilat, quando reliqua auicula adhuc dormiunt, capite sub plumis condito: & ante lucem versus suos meditari, sylvasq; sua vocula compleere incipit.

Sed & ludum iunioribus aperit. Nam quando canit, audit discipula intentione magna, & vocem reddit. Si autem versus non rite subsequitur, seu quaesi voce increpatur a matre: & intelligitur emendare correctio.

Observatum praeterea est, miram Luscinia inesse Philostorgiam erga natos, praesertim autem dum adhuc implumes sunt, & injuriam aliquam patiuntur. Tunc enim, teste Marone,

Amissos queritur foetus, quos durus erator
Observans nido implumes detraxit: at illa

A 4

Flet

Flet noctem, & moestis late loca questibus implet.

Regum verò aulas, & Principum dapes,
quanti faciat luscinia, docet ille consul Ro-
manus, qui fuit sacer Symmachi, à Theodo-
rico occisi, eleganti hoc metro.

Quæ canit altis garrula ramis

Ales, caue & clauditur antro,

Huic licet illita pocula melle,

Largasq; dapes dulci studio

Ludens hominum cura ministret,

Si tamen alto saliens tecto

Nemorum gratas viderit umbras,

Sparsas pedibus proterit escas,

Sylvasq; tantum mæsta requirit,

Sylvas dulci voce susurrat.

Illud deplorandum, quod hæc auicula, li-
cer sit innocentissima, & carminibus solis lu-
dendis, atq; informandis discipulis occupata,
nihil tamen præsidij repositum habeat in illa
sua innocentia: sed a siduè infestetur ab acci-
pitre, ηραπτερύχεοι egregiè nobilitato. Mo-
rieris, inquit hic tyrannus, si emiseris vocem.
Ferrum in manu est: Wir wollen euch Lus-
tinis das russen wol einmahl verbieten.

Sed tamen Deus hanc innocentem cantat
tricem

tricem mirabili modo conseruat, inier folia
 & frondes, infirma illa tegumenta: ut quot-
 annis, si non plures, certè non pauciores lus-
 cinias, quām accipires conspiciamus. Nec re-
 fert quantopere ab alijs, qui volunt mitiores
 esse, despiciantur.

Cum ex asino aliquando quereretur, utri-
 us vox, Cuculine, an verò Philomelæ, dulcior
 esse sibi videretur respondit asinus: Cuculi.
 Eiusmodi agrestia & asinina iudicia a quo
 animo accipienda & ferenda sunt.

Sed cùm non tutum sit, Arnolde amicorum
 integerrime, aliquē solum, absq; fideli Acha-
 te, sylvas & lucos adire, propter tot viperas
 & serpentes in eis latentes: rogatum te vo-
 lo, ut quantum tibi per Rempub: licuerit, mi-
 hi comitem adiungas, atq; me, dum canentes
 luscinias auscultio, & carmina, que ab ipsis
 tradita accipio, in literas refero, aduersus vi-
 perarum & serpentum morsus gladio tuo
 scriptorio, fideliter tuearis. Nolo te quen-
 quam occidere, sed ut me luscinij patulo
 ore assidentem, nihilq; suspicantem mali,
 fideliter tuearis, te oro, auctoritate tua qua
 vales plurimum. Ita & nos poterimus

A s esse

esse luscinia, Deo grata, Ecclesij vero salutaria canentes. Bene ac feliciter vale, vir opime, è Noua Heliopoli. VII. Aprilis.

Stephanus Praetorius.

D E



124

DE NOMINE AT- QVE ORTV LVSCINIAE,

Caput primum.

LUscinia, quam Galli Rossignol,
Germani Nachtegall appellant, nomen habere videatur vel
à lucis in quibus frequens est,
quibusq; gaudet: vel cerè à lusu, ita ut lu-
scinia dicta sit, quasi lusinia, ein Spielvög-
lein/ quæ sua voce varie ludit.

Aliqui vocem deducunt à luctu, eò quòd
luctuose canere existimetur, unde Marialis:

Flet Philomela nefas incesti Tereos, & que

Muta puella fuit, garrula fertur aus.

Græcè dicitur ἄνδρος, quasi ἀσιδῶν, hoc
est, perpetuò, ubi semel occuperit, cantans.
Nam haec auicula quindecim continuos dies
ac noctes, densante se frondium germine,
sine intermissu garrit, digna sanè, quæ dum
canit attenè, & cum animi quadam admir-
atione, auscultetur, ut Plinius verbis utar.

Sed & Philomela vocatur, etymo non ob-
scuro: quoniam est valde amabilis cantatrix:
Ist vberaus ein süsse vnd liebliche Sengen-

rin/

lib: 1

rin / quæ artificio canendi reliquum auium
chorum facile superat. Und nur extel
Meistergeseng vnd Bergfreyen weis zu
singhen.

Hesiodus attribuit ipsi valde elegans epi-
theron, & nominat eam πολύφωνον, hoc
est, varium collum habentem, proprie vocis
ac soni varietatem, qua cum primis excellit.
Denn dis kleine Vöglein weis sein schö-
nes Stimlein/ sein Artig vnd Meisterlich
zu verdrehen.

Rettè etiam forsässis aliquis Lusciniam
appellauerit πολύφωνον, ή πολύτερον, quem-
admodum Martialis alicubi Multisonam:
quia eius voces, toni ac modi valde varij
sunt. Hat seines gleichen nit. Hat mehr
verzüge vnd stimen/ in seinem kleinen Hel-
selin/ dann alle Organa musica in urbe No-
riberga.

Patre habuisse singitur Pandiona, re-
gem Athenarum, de quo scribit Pausanias
lib. 1. quod fuerit valde infælix filiarum pa-
ter: Πανδίων, inquit, & αὐτὸς ἀγαθὸς οὐκουνοι
ἔθρεψεν οὐ πανδίων. Pandion non optimo far-
to suscepit ac educauit filias. Die töchter
haben

425

haben jm nit wollen geraten. Et paulo post
subiectie valde insignem sententiam:
αλλ οὐδεὶς πόρος εἰνι αὐθεότω παραγένεται
καθηγεν ἐκ τοῦ Θεοῦ: Sed per nullam viam ac
modum licet homini effugere & evitare id,
quod à Deo constitutum est. Nam cum Pan-
dion, Tereo, regi Thracum, filiam natu ma-
iorem, cui Progne nomen erat, in marri-
nium dedisset: & hac nimio vidende sororis
Philomelæ desiderio teneretur: mituit Athe-
nas maritum, ut sibi sororem Philomelam
adducat. Tereus, cum illuc profectus saceri-
vit eretur hospitio, statim exarsit in amorem
Philomelæ, & impetratam à socero nauis im-
posuit, atque in Thraciam secum auexit. An-
tequam autem ad uxorem cum sorore redi-
ret: tripli usus est erga hanc crudelitate.
Primum enim eam

In stabula alta trahit, syluis obscura uetus sitis,
Atq; ibi pallentem, trepidantem & cuncta timentem
Includit. Deinde:
Vi superat, frustra clamato sàpè parente,
Sàpè sorore sua, magnis super omnia diuis.
Postremò, ne quid proderet, comprensam forcipe
linguam

Abstulit ensi fero, ut Ouidij uerbis utar.

Hanc

Hanc insignem crudelitatem cum ulci-
sci veller Deus, impulit mentem Philomela,
ut suas miseras peplo intextas ad sororem
curaret perfserri. Quibus accepis & cognitis
soror incredibili furore percita, primum cur-
rit ad stabulum nefarium, ac Philomelam
inde retrahit: deinde Itin filium occidit, &
coctum marito deuorandum apponit. Quod
scelus cum stricto gladio persequi veller Te-
reus, factum est commiseratione quadam
Deorum, ut illa luctuosa familia in aues
conuerteretur: Tereus quidem in upupam:
Progne vero in hirundinem: Et Philomela
in lusciniam cantatrixem, quia fortassis hac
puella fuit nobilis cantatrix, dicendis peri-
ta, quales solent esse pleraque principum ac no-
bilitum filiae. Hinc est quod Luscinia etiam-
num inter canendum crebro edere has voces
videtur: Τηρευς γλωτταν, quasi conquerens de
Tereo, quod amputauerit linguam.

Fabella Terei recitatur ab Ouidio lib. VI.
Met. Et licet tota digna sit, que ab adole-
scientibus ediscatur: tamen hi versus, qui se-
quuntur, praecipue memorabiles esse video-
tur.

i. Qui-

1. Quibus sollicitus pater genero commendat filiam.

Per superos oro, patrio ut tuearis amore,
Et mihi sollicito lenimen dulce senectæ
Quam primum remittas.

Vocat filiam dulce lenimen senectutis.
Quia nihil est, post diuinæ consolatiōnes,
quod ita lenire posse miserorum parentum
varias curas ac dolores, quam conspectus
amantisimorum liberorum.

2. Quibus φιλόστρηγος pater alloquitur filiam.

Si pietas illa est ad me Philomela redito.
Cum lachrymis, & cum gemitu bac verba
pronunciasse optimum senem non dubium est.

3. Quibus Terei, hominis amore insani-
entis, nefarij mores describuntur.

Vt simul imposta est pīctæ Philomela carina,
Vicimus exclamat, mecum mea uota feruntur:
Exultatq; & uix animo sua gaudia differt
Barbarus, ET NVSQVAM LVMEN DE-
TORQVET AB ILLA.

4. Quibus puella violata corruptiori suo
perfidiā obijcit & crudelitatem.

O crux-

O crudelis, ait, nec te mandata parentis
Cum lachrymis mouere pijs, nec cura sororis,
Nec mea uirginitas, nec coniugalia iura.
Omnia turbasti, pellex ego facta sororis.
Tu geminus coniunx.

*Est insigne poëma, quod multiplicem
continet doctrinam. Primum enim monet
parentes ut in custodiendis filiarum corpori-
bus vigilantes sint, nec eas temerè commit-
tant quibusvis. Duocæcetes omnes, inquit Syra-
cides, περοχε τις σώματι αντων. Nam cupi-
dinis tela varie volant, & in quos non pu-
tas, quosq; minime conuenit, in eos sapè in-
cidunt. Et licet aliqui vultu simulenti singu-
larem castimoniam & viræ probitatem; tamen
men non semper vultui credendum est.
Quoniam vita hominum est fallax, & abdi-
tos sensus gerit, ut Theseus apud Senecam in-
quit. Et hoc loco exclamat noster Poeta:
Pró superi, quantum mortalia pectora coceat
noctis habent.*

Wie gar stehtet niemand zu trauen!

*Deinde etiam monet in uniuersum quos-
uis, præsertim autem adolescentes & iuue-
nes, ut omnem amoris atq; libidinum occa-
sionem*

sionem vitare discant. Nam ubi amor semel
occupauerit cor, non facile est, eum inde rur-
sus expellere: Sed crescit indies, & crescen-
do vires sumit, instar alicuius incendi: nec
desinit prius, quam hominem amentem &
prorsus immanem reddiderit, sicut in hac fa-
bella dicitur: Et nihil est quod non effreno
captus amore ausit. Postea sequuntur pœna
diuina, & tragicæ calamitates.

**DE VOCE AC PERITIA
LVSCINIARVM.**

Caput II.

ET si autem Luscinia parua est admodum
anicula, passere haud mulio maior: ta-
men in illo paruo corpusculo, bene Deus,
quanius est animus, quanta vox, & quam
pertinax spiritus? Eius enim sonus, teste Pla-
nio, lib. 10. cap. 29. perfecta Musica scientia
est. Nam nunc continuo spiritu trahitur in
longum. Nunc variatur inflexo. Nunc di-
stinguitur conciso. Copulatur intorto. Inter-
dum secum murmurat. Plenus, grauis, acu-
tus, creber, exientus. Vbi visum est vibrans,
summus, mediuss, imus. Breuiterque omnia

B

iāno

etiam parvulis faucibus, que rore exquisitus tibiarum tormentis ars hominum excogitasuit.

Ac ne quis dubitet artes esse plures, singulis sunt cantus, & non idem omnibus, sed suus cuique certantque inter se, palamque animosa contentio est. Victa morie sape finit vitam, spiritu prius deficiente, quam canit.

SCHOLA LVSCINIANA.

Meditantur aliae iuniores, versusque quos imitantur accipiunt. Audit discipula intentione magna, & reddit: vicibusque reticent. Intelligitur emendata correctio, & in docente quedam reprehensio.

Hac Plinius: quibus an posset aliquid dulcius excogitari, equidem non scio. Sed cum hanc vernalem et incundam materiam ingressi sumus, libet hic referre, que ab eodem auctore de Hirundinibus, Ciconiis, Coccyge, & Grubis, avibus familiariter notis, in literas relata sunt.

DE HIRUNDINIBVS.

Plin. lib. 10. cap. 33.

Hirun-

186

Hirundines luto construunt, stramento roboran. Si quando inopia est luti, mafactum multa aqua pennis puluerem spar-gunt. Ipsum vero nidum mollibus plumis floccisq; consternunt reperfaciendis ouis simul, & ne durus sit infantibus pullis. Infœru summa aequitate alternant cibum. Notabilis munditia egerunt excrementa pullorum: Adultioresq; circumagi docent, & foras sa-ruritatem emittere.

Laurent. Valla de voluptate lib. 3. com-parat duas sorores, Prognen nimirum & Lu-Jciniam, duabus facultatibus, Oratoria & Poënicæ: Et ait, Prognen seu Hirundinem, in qua inest mira libido recta & urbes incolendi, similem esse urbana eloquentia, & illis qui in domibus, in senatu, in foro suam facundiam exercent: Philomelam vero sumi-lens eloquentia nemorali & Poëtarum, qui sylvas & solitudines, & loca non ab homi-nibus, sed à Masis & à Dijs celebrata amant: & materias à forensibus contronersis remo-vissimas tractant.

Itaq; quantum Philomela in cantando voca-litate, vi, motu, scientia, varietate, suauitate

B 2 hirun-

*birundini præstat: tantum poëticam vocem
Oratoriae præstare.*

D E C I C O N I I S.

Ibid. cap. 23.

*Ciconia quo nam è loco veniant, aut que
se referant, incompertum adhuc est. Elon-
ginquo venire non dubium. Abitura con-
gregantur in loco certo: comitatae sic, ut
nulla sui generis relinquatur, nisi captiuæ et
serua, ceu lege, prædicta die recedunt. Nemo
vidit agmen discedentium, cum discessu-
rum appareat: nec venire, sed venisse cerni-
mus. Et quamvis ultrà citrâ ue peruelent,
nunquam tamen aduenisse usquam, nisi no-
ctu existimantur. Nidos eosdem repetunt.
Genitricum senectam inuicem educant.*

D E C O C Y C E , S E V C V C V L O ,

Libro eodem cap. 10.

*Cocyx ex Accipitre viderur fieri. Mutat
figuram & vocem. Modico tempore estatis
visus non cernitur postea, semperq; parit in
alienis nidis, maximè palumbium, maiori
ex parte singula oua, quod nulla alia auis, ra-
rò bina-*

ro bina. Causa subiecti pullos puratur,
quod sciat se inuisam cunctis auibus. Nam
minuta quoq; infestant, ita non fore tutam
generi suo stirpem opinatur, nisi fefellerit.
Educat ergo timida nutrix subditum adulterato
fœtu nixu. Ille auditus ex natura præ-
pit cibos reliquis pullis, itaq; pinguescit, &
nitidus in se nutricem conuerit. Illa gau-
det eius specie, miraturq; sese ipsam quod ta-
lem peperit: Suos comparatione eius damna
ut alienos: absungi, etiam se inspectante
patitur, donec corripit ipsam quoq; iam vo-
lanti potens.

Ponit
Ona i
ni de
Cur
ca.
Hypo.
lais.

DE G R V I B V S

Cap. eodem.

Immensus est tractus quo veniunt, si quis
reputet à mari eo: Quando proficiuntur
consentiant. Volant ad proficiendum alte.
Ducem quem sequantur eligunt. Extremo
agmine, per vices qui acclament, dispositos
habent, & qui gregem voce contineant. Ex-
cubias habent nocturnis temporibus, lapil-
lum pede sustinentes, qui lassatis somno de-
cidens indiligentiam sono coarguat. Cetera
dormi-

B 3

dormi-

dormiunt capite subter alam condito, alter-
nis pedibus insistentes. Dux erecto prouidebat
collo, ac praedicit.

DE CHRISTO.

Cap. III.

Est autem Luscinia, ut minima cum
maximis comparemus, Imago, primum qui-
dem ipsius filij Dei resurgentis ex morte:
cum quo simul quasi resurgere, atq; in suas
sylvas redire videtur. Nam sicut vox lusci-
niae amabilitate sua longe superat omnem
omnium auicularum vocem: Ita quoq; vox
Christi sua dulcedine longe vincit omnem,
non solum hominum, verum etiam Angeloi-
rum vocem.

De Xenophonie scribit Cicero, quod eius
sermo sit quoquis melle dulcior: At de Christi
verbis restatur D. Petrus, quod sine verba
vita eterna, Ioan. 6. Cum enim huius Lusci-
niae caelestis vocem aliquando audiuisset Pe-
trus, exclamauit ac dixit: Domine verba vi-
ta eterna habes. hoc est. Cum tuas conciones
audimus, incredibili perfundimur gaudio.
Et videmur nobis non procul à paradyso esse.

Ei in

Et in Canticis, cap. 5. canit Ecclesia,
Sponsa Christi: *Anima mea liquefacta est,*
postquam dilectus meus locutus est mihi.
Quoniam vox eius dulcis est.

Primum enim (ut hac aliquanto latius euoluamus) conuocat Christus, tanquam auctula, pullos suos, sub alas suas, voce per quam suaui: *Venite ad me omnes, quasi dicat, Venite, auscultate me, cantabo vobis pulchrum carmen, quo rescietur tristis anima vestra.*

Sunt autem pulli Iesu Christi, miseri peccatores, qui decus propriæ iustitiae, quo sibi antea mirifice placebant, & quouis Hespero ac Lucifero pulchriores esse videbantur, amiserunt. Qui polluti ac deformati sunt multis ac terris peccatorum sordibus. Quos odit & detestatur mundus, tanquam pestem generis humani, & omnium calamitatum authores. Qui propter admissa peccata saeuissimos cruciatus in pectore sustinent. Quos pudet prodire, non solum in conspectum Dei & Angelorum, verum etiam honestorum hominum. Qui ex nimio timore semper trepidant, & ad omnia fulgura pallent.

B 4 Hi in

Hi inquam sunt dilecti pulli Eusciniae cœlestis, Fili⁹ D E I. Nam hos exp̄rē nominat, cūm inquit, Venite ad me qui onerati estis. Reliquos verò, qui non sunt onerati mole peccatorum, quiq; sub isto onere non laborant: sed qui sibi videntur esse omnium sanctissimi & iustissimi, ac proinde Deo charissimi, relinquit sua iustitia sine firma consolatione, neq; eos satis agnoscit pro pullis suis.

Deinde postquam conuocauit pullos, incepit eis quasi canere, & proponit ipsis dulcissimas consolationes. Mei pulli, inquit, video vos esse contristatos propter fordes Peccatorum vestrorum, quibus imius & extrā pollui estis. Sed omittite istas curas, & optimo animo estote. Quoniam remissa sunt vobis peccata vestra. 1. Ioh. 2.

Nam eti reuera nihil aliud estis, quam massa polluta: tamen cœlestis Pater non imputat vobis peccatum. Psalm. 31. hoc est, tales vos esse iudicat, ac si prorsus nullum in vobis peccatum esset: Sed imputat vobis iustitiam, Rom. 4. Pronunciat vos iustos, ac se omnem iustitiam, & iustitiae summos gradus haberebis.

Quod

433

Quod in vobis est peccatum: id coram
Deo nihil est. Imò iustitia est: non quidem
per se, sed gratuita disimulatione, & im-
putatione. Ita quidem coram hominibus
estis peccatores, coram DEO vero ipsissima iu-
stitia. 2. Cor. 5. Coram hominibus Aethio-
pes: coram Deo quanis nunc candidiores.
Esa.1. Coram hominibus Diaboli: coram Deo
sancti Angeli. Quia ipse legit peccata ve-
stra. Psalm.31. Nec vulnus a conspicere. Esa.11.
Et ut cum Prophetis figurare vobiscum lo-
quar, Ipse abstulit a nobis Peccatum. 2. Reg. 11.
Et proiecitur illud in profundum maris.
Mich. 7.

Ei ne quid vos lateat, In Cœlo fons est,
quem David Psalm. 36. Fontem vita appellat,
proprietà quod perenni gratiae ac vita
aqua fluat. Huic perpetuo assidet Deus, &
baurit inde, funditq; super vos mundam
aquam, & lauat vos ab omnibus inquina-
mentis vestris. Ezech. 36.

Neg_s solum remittit vobis πολυέλε^ς. It-
os lenia quadam, & non magni momenti er-
rata: sed & grauissima maximis ponderis
scelera clementer vobis condonat. Id_s facit

B s non tan-

non tantum semel atq; iterum: sed subinde,
ad omne cordis vestri susprium, septies in-
terdum, interdum vero septuagies septies,
pro ut eius emundatione indiqueritis Mat.
18. Nam gratia Dei a φιλιᾳ inexhausta
atq; indefessa est: Et infinitis modis superat
magnitudinem & multitudinem delicto-
rum vestrorum. Roman. 5. Das gleubt nur
fur war. Ita Deum recte noueritis, vnd ma-
chet euch selbst so gratiam Dei exuberan-
tem/ nicht klein/ wie der verfluchte Cain
gethan hat.

Nam ego, quem scitis esse Dei filium,
descendi ex sinu Patris de Cœlo in sinum vir-
ginis Mariae: atq; inde assumta carne hu-
mana factus sum peccatum, 2. Cor. 5. hoc est,
commune quasi receptaculum peccatorum,
& victimæ pro peccatis vestris. Idq; in eum
finem: ut vos iusticia Dei efficeremini, hoc
est, ne peccata vobis imputarentur, neque
quid pati vobis propter peccata necesse esset.
Auff das ihr Friede hettet / Esai. 53 Nam
preciosus meus sanguis λύτρον est, Matt. 20.
non tantum pro pena, quam sustinere debe-
batis: verum etiam pro culpa. Ut mihi valde
propriè

134

propriè locutus fuisse D. Iohannes videatur,
cum scripserit, sanguinem meum mundare
vos ab omni peccato. 1. Ioh. 1.

CANTIO II.

Sed non solum peccata remissa sunt vobis propter nomen & sanguinem meum: verum etiam reconciliati estis cum Deo. Rom. 5.
Nam simul ac peccata remissa sunt alicui facta est reconciliatio cum Deo. hoc est, Ira sci desinit Deus, nec amplius cogitat de poenis irrogandis. - Quae enim maior esset iniurias quam irasci iustificari, & ferire innocentem?

Eisti enim Deus pro sua iustitia horribiliter irascatur peccatis, secundum Psalmi 5. dictum: Odisti omnes facientes iniuriam: & atrocia scelera regulariuer ferè puniat atrocibus poenis etiam in hac vita, iuxta illud: Τῶν γὰρ μεχάλων ἀδικημάτων μεχάλας εἰσὶν οἱ πικρέστατοι τοῦ Θεοῦ: Tamen cum agentibus penitentiam & conuersis hoc modo procedit.

Primum punit eos per contritionem, qui dolor multò acrior est quam mors ipsa.
Deinde

Her
lib:

Deinde addit pœnas alias insigues, infamiam, & alias tristes calamitates. Psal. 89.
vi per illam occasionem pœnitentia in ipsis crescat, & alijs de Dei iudicio admoneantur.
Sed postea viens misericordia, paulatim mitigat pœnas, quemadmodum dulcissime dicitur iusto. Psalmo 103. Donec eas tandem prorsus auferat, & hominem quasi ex inferno reducitum pristinae dignitati restituat, vel eum ad ampliores honores euehat, iuxta dictum: Eripiam eum: & glorificabo eum.
Ita enim ludit Deus cum amicis suis, quorum saluti fauet,

CANTILENA III.

Neg, verò hic subsistit Dei gratia: sed latius progreditur. Nam & in filios suos cooptauit vos. Ioh. 1. Gal. 4. Qua quidem nobilitate & dignitate generis, nulla maior potest excogitari. Et cum Pater est, paterno quoq; amore complectitur vos: multo sanè ardenter, quam ullus pater, quantumuis φιλόσοφος ex se genitos. Psalm. 103. At ne possitis dubitare de ipsis immenso erga vos amore, Ecce Spiritum Sanctum dedit vobis,
vt &

vi & arrha sit tñs uiobedientias vestre. 2. Corin. 1.
 Et simul intus quog, in cordibus vestris fa-
 miliariter loquatur cum spiritu vestro: ac te-
 stetur, cum de gratuita adoptione vestri.
 Rom. 8. Tum de singulari D E I patris in vos
 amore- Rom. 5. Et tantam in vobis fiduciam
 atq; parrhesiam excite, ut sine ulla hesita-
 zione audeatis ad eum accedere, & clamare
 Abba, hoc est dilectissime pater. Gal. 4.

Nam profundi isti gemitus pectoris ve-
 stri, quos interdum ad D E V Meditis, nihil
 aliud sunt, quam inenarrabiles gemitus Spi-
 ritus Sancti Rom. 5. Qui & penetrant nu-
 bes, Syrach. 35. & in Cælo ingentes clamores
 excitat. Exodi 14. quos Deus non potest non
 exaudire. Iohan. 16. Sed de paterna exau-
 ditione alio fortassis loco & tempore vobi-
 scum copiosius: nunc illud tantum addo.
 Quod sicut cœlestis meus pater agnoscit vos
 pro amanissimis liberis suis: Ita ego agnosco
 vos pro charissimis fratribus ac sororibus me-
 is: Psalm. 22, Iohan. 20. Quos hic defensos con-
 tr. Diabolorum & Tyrannorum furores postea
 resuscitabo ad vitam aeternam. Iohan. 6.

De qua

De qua fraternitate Christi sic scribis
quodam loco D. Lutherus:

Wer kan nu solchs gnug erlangen / vnd
welch Herz kan hie genug gleuben / das
der liebe H E R R uns so nahe zu gehorete.
Denn es ist ja zu groß vnaussprechlich
ding / das wir arme elende Adams kin-
der / die wir in Sünden geboren / vnd ver-
altet / sollen sein der hohen Maiestet war-
haftige Brüder. Wer nu hie gleuben
wolte / der hette zu gleuben gnug sein le-
henlang / vnd weil die welt steht / das es
war sey / Denn der Trost ist zu groß / vnd
die Frewde zu hoch / vnd des Menschen
herz zu klein vnd zu enge / Solchs zu er-
langen / Wer da gleuben kan / der gleube
es / Denn ob wirs gleich nicht gleuben / so
ist es doch die warheit.

DE ECCLESIA.
Cap. IIII.

Deinde Luscinia est imago Ecclesie.
hoc est, omnium electorum, qui vocem Chri-
sti audiunt, discunt, & vera fide amplectun-
tur. Nam sicut illius auicula pectus plenum
est la-

est letitia gestiente: Ita & horum corda perfusa & oppleta sunt ingenti gaudio, quod superat omnem ceterorum hominum intellectum. Philip. 4.

Causa vero tante letitiae in p̄ys est sola vox Christi, sicut dicitur Ioh. 3. Quis stat & audit eum, gaudet propter vocem eius: Et Spiritus sanctus per illam vocem efficax, ac operans talem in eis motum. Gal. 5. Fructus spiritus gaudium.

Ideo enim iam suauiter canit Luscinia caelestis Iesus Christus, ut pullorum suorum animas liberet ex carcere moriis, hoc est tristitia: atq; traducat eas in theatrum vitae, seu letitiae eternae, Heb. 2.

Nam eis omni no flagitat, atq; etiam simul in nobis operatur contritionem ipse Filius DEI, sicut dicitur 1. Joel. 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: tam propterea non vult mortem peccatoris, hoc est, perpetuum ei immoicum dolorem, ne quomodo fiat ut aliquis ab immodico dolore, per astutiam Diaboli, absorbeatur. 2. Cor. 2. Quis enim esset fructus dolorum ac mortis Christi, si nobis

si nobis perpetuo cum doloribus conflictan-
dum esset? Sed vule ut viuamus, mo-
